

## **BIBLIA ACRA IUXTA VULGATAM VERSIONEM – EVANGELIUM SECUNDUM IOHANNEM**

1 In principio erat Verbum  
et Verbum erat apud Deum  
et Deus erat Verbum  
2 hoc erat in principio apud Deum  
3 omnia per ipsum facta sunt  
et sine ipso factum est nihil  
quod factum est  
4 in ipso vita erat  
et vita erat lux hominum  
5 et lux in tenebris lucet  
et tenebrae eam non comprehenderunt

## **CATECHISMUS CATHOLICAE ECCLESIAE – PROFESSIO FIDEI: CREDO**

Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem caeli et terrae, et in Iesum Christum, Filium eius unicum, Dominum nostrum, qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine, passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, et sepultus, descendit ad inferos, tertia die resurrexit a mortuis, ascendit ad caelos, sedet ad dexteram Patris omnipotentis, inde venturus est iudicare vivos et mortuos. Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam catholicam, sanctorum communionem, remissionem peccatorum, carnis resurrectionem, vitam aeternam. Amen.

## **CODEX THEODOSII IMPERATORIS**

Liber 16.10.24.1

Sed hoc christianis, qui vel vere sunt vel esse dicuntur, specialiter demandamus, ut Iudaeis ac paganis in quiete degentibus nihilque temptantibus turbulentum legibusque contrarium non audeant manus inferre religionis auctoritate abusi. Nam si contra securos fuerint violenti vel eorum bona diriperint, non ea sola quae abstulerint, sed conventi in triplum et quadruplum quae rapuerint restituere compellantur. Rectores etiam provinciarum et officia et provinciales cognoscant se, si fieri permiserint, ut eos qui fecerint puniendos.

Dat. VI id. iun. Constantinopoli Asclepiodoto et Mariniano cons.

## **AURELII AUGUSTINI DE CIVITATE DEI LIBER XI**

[I] Civitatem Dei dicimus, cuius ea scriptura testis est, quae non fortuitis motibus animorum, sed plane summae dispositione providentiae super omnes omnium gentium litteras omnia sibi genera ingeniorum humanorum divina excellens auctoritate subiecit. Ibi quippe scriptum est: „Gloriosa dicta sunt de te, civitas Dei;“ et in alio psalmo legitur: „Magnus Dominus et laudabilis nimis in civitate Dei nostri, in monte sancto eius, dilatans exultationes universae terrae.“

Hiis atque huius modi testimoniis, quae omnia commemorare nimis longum est, didicimus esse quandam civitatem Dei, cuius cives esse concupivimus illo amore, quem nobis illius conditor inspiravit. Huic conditori sanctae civitatis cives terrenae civitatis deos suos praeferunt ignorantes eum esse Deum deorum, non deorum falsorum; ... sed deorum piorum atque sanctorum, qui potius se ipsos uni subdere quam multos sibi, potiusque Deum colere quam pro Deo coli delectantur.

Nunc vero ... de duarum civitatum, terrenae scilicet et caelestis, quas in hoc interim saeculo perplexas quodam modo diximus invicemque permixtas, exortu et excursu et debitis finibus, quantum valuero, disputare ... adgrediar.

NB: Přečtěte si, prosím, text Bible, *Credo* a alespoň kousek z Theodosiova kodexu o soužití křesťanů a jiných vyznání. Výtazek z Augustinova díla *O Božji obci* je optativní, doporučuji srovnat s českým překladem Julie Novákové, který vyšel pod názvem AURELIUS AUGUSTINUS. *O Božji obci*. Praha: Karolinum, 2007.